

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678


Caput XXI. De ministerio

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

1. *Ob lacrymas, quæ coram Domino preciosæ sunt, eas in saccum suum colligente, Psal. 56. v. 9.*

2. *Eam quoque suâ ipsius pulchritudine pulchram fecit, quando abstulit deformitatem naturalem, Ezech. 16. v. 9. seq. & sine macula fecit, Eph. 5. v. 27. Cant. 4. v. 7. gloriosam, Col. 3. v. 4. Rom. 5. v. 2.*

3. *Hæc est illa pulchritudo, quâ, ut Esther olim principibus Ahasveri placuit, Esth. 1. v. 11. cap. 2. v. 15. sic completivè angelis placebimus, imò ipsi regi, qui concupiscet decorem nostrum, Psal. 45. v. 12. Ejus enim delectatio est in filiis hominum, Prov. 8. v. 31. Hæc est decor domus suæ h. e. ecclesiæ, quem diligere debemus, Ps. 26. v. 8. nec facere abominabilem, Ezech. 16. v. 22. repudiando.*



CAPUT XXI.

DE

MINISTERIO.

ARTICULUS I.

DE MINISTERIO.

MINISTRI CUR ANGELIS

comparentur?

1540. 1. *Ob nominis evidentiam. Angelus nuncium notat. Ministri sunt Dei nuncii, Luc. 9. v. 60. Act. 4. v. 2. 1. Cor. 9. v. 14. Ezech. 3. v. 17. c. 33. vers. 7. in luce ambulandum esse nunciant, Johan. 1. vers. 5. 6. 2. Cor. 5. vers. 20.*

2. *Res*

2. *Rei convenientiam.* 1. *Ortu.* Nam angeli de cœlis mittuntur: ita ministri cœlitus donantur, Psal. 68, 12. Matth. 9. vers. 38. Eph. 4. v. 11. *Servitute.* Angeli ministrant nobis, vigilant pro nobis: ita ministri altari, 1. Cor. 9. Ezech. 3. v. 17. Actor. 20. v. 27. contra lupum, Matth. 7. v. 15.

3. *Gaudio.* Angeli gaudent conversione peccatorum, Luc. 15. v. 20, ita ministri conversione.

4. *Virtutum exemplo,* quæ maximè lucent in angelis, 1. Sanctitas. 2. Intelligentia. 3. Castitas. Ita iisdem virtutibus ecclesiæ militantes angelos ornatos esse oportet, 1. Tim. 3.

5. *Ductu:* Angeli sunt itineris comites: ita ministri viam nobis monstrant, quæ ad cœlum ducit, 1. Samuel. 12. v. 23.

MINISTRI ECCLESIAE, TABERNACULI artifices.

1541. *Artifices tabernaculi Mosaici insignes fuerunt,* Exod. 36. v. 2. c. 38. v. 13. *Itemque Salomonici.* Ministri verò verbi sunt veri artifices, qui tabernaculum Domini ex vivis lapidibus construunt, 1. Pet. 2. v. 5. donec perveniamus ad civitatem, cujus ipse Deus artifex, Heb. 11. vers. 10.

MINISTRI ADJUTORES DEI.

1542. *David & Salomon operâ satraparum,* principumque imperium administrabant: Operam ministrorum in regno gratiæ Christus verus ille David, Ezech. 33. major Salomone, Matth. 12. v. 24. usurpat. Unde Apostolus: Dei operarii sumus, 1. Cor. 4. v. 1. Nuncii Dei, 2. Cor. 5. v. 20.

Y y 2

MI-

CAPUT XXI.
MINISTRI VERBI SUNT
camentarii.

1543. *Salomonis & Hiramii Camentarii dolaverunt ligna & lapides, ex quibus templum extruendum erat, 1.Reg. 5. v. 18. Tales camentarii sunt ministri, qui dolant virtute Spiritus S. corda hominum dolabrâ legis, Ose. 6. v. 6. ut sint tabula dolata & lapides dolati, 2.Reg. 6, 7. hoc est, vivi in capite Christo, Gal. 1, 20. inferantur.*

MINISTRI DUCTORES.

1544. *Duxit populum Dei ex Ægypto Moses & Aaron, Pl. 77. v. 21. Ita ministeriô verbi ex Ægypto spirituali mundi homines ducuntur, per desertum mundi, ad terram promissam cœli. Felix qui ductum sequitur!*

MINISTERIUM VERBI COMPARATUR nubi.

1545. 1. *Ob mysticam significationem, Apoc. 14. v. 14. filius Dei super nubem sedisse visus est. Hoc ipso significatur regnum gratiæ, quâ ministros, per se nil nisi nubes steriles, fœcundat, 2. Cor. 3. v. 5. 1. Cor. 3. v. 6. super has nubes ipse sedet per Spiritus S. communicationem.*

2. *Ob cœli operationem. Nubibus cœlum operitur: Sic ecclesiæ cœlum ministris ornatur, quos ille extrudit in messem, Matth. 9. v. 38.*

3. *Fœcunditatem & destillationem. Nubes pluviam destillant & agros fœcundant: Sic ministri doctrinæ pluviam destillant, Deuter. 32. v. 2. ut corda hominum velut agros fructibus justitiæ fœta reddant, Philip. 1. vers. 11.*

4. *Luminis solaris receptionem. Nubes lumen solare*

rc

re in se recipit, & varium ex eo colorem; Sic ministri à Christo ut sole, Psal. 84 v. 12. lucem accipiunt; Hinc angelus in sole stat, Apoc. 19. v. 17. Angeli hi ministri sunt, qui solis Christi radiis & lumine coruscant, stant, ut homines in tenebris jacentes, Joh. 1. ad hunc justitiæ solem ducant.

5. *Ventorum jactationem.* Nubes à ventis jactantur hinc inde. Sic ministri multas persecutiones pati coguntur, carnis tentationes multas.

6. *Colorum diversitatem.* Varii sunt nubium colores: sic in ministris est magna donorum diversitas, 1. Cor. 12. magna colorum diversitas. Nubes quandoque obscura, nonnunquam lucida. Ministri quandoque obscuro & opaco per legis prædicationem, in quo claritas JESU CHRISTI, 2. Cor. 4. v. 6.

7. *Resolutionem.* Nubes proficua & utilis est, cum in pluviam resolvitur & destillat. Utilissimum est ministerium, si doctrinam Dei proponat, si homines accipiant: Supr. Num. 3. In ventos resolvitur nubes spiritualis, quando vera doctrina non proponitur, sed ventus hæreses, animam concutiens, ut arundinem, Eph. 4. v. 14.

MINISTRI

1546. Sunt Dei Satrapæ. Ut Darius satrapas constituit in universo regno, Dan. 6. v. 1. Sic Christus in regno gratiæ satrapas ministros suos habet. Principi Danieli rationem reddebant satrapæ, d. l. Dan. vers. 2. Christo Jesu vero Danieli rationem reddituri sunt omnes ministri, villicationis suæ in ecclesia, quam Christus suo sanguine redemit, Act. 20. v. 28.

Y y 3

MINI-

MINISTRI SUNT SAL TERRÆ,
Matth. 5. v. 13.

1546. *Obcondimentum.* Sicut sal condit cibum, & putredinem arcet: ita ministerio verbi homines con-
diuntur, quando altâ voce exclamant, Marc. 9. v. 50. *Habete in vobis sal & pacem.* Condiuntur, quando pu-
tredo illa carnalium voluptatum abstergitur.

2. *Putrefactionis impedimentum.* Sal putredinem arcet à carnibus: ita verbi prædicatione ministri vicia impediunt, quibus homines putres pisces fiunt, ex ecclesia projiciendi, Matth. 13. v. 48.

3. *Communem usum,* Matth. 13. v. 48. Sal in usu est apud omnes gentes: ita ubicunque locorum Deus voce ministrorum suorum ecclesiam sibi colligit.

4. *Mordacitatem.* Sal adhibitum mordet & ar-
dit: ita ministri per legem vitia hominum rodunt: quo nomine mundo minimè grati sunt.

5. *Saporis causationem.* Sal cibum reddit sapidum: Verbi cibus hominibus est insipidus, ministerio verbi redditur sapidus. Hominibus terræ insipida sunt.

6. *Ob medicam salis virtutem, de qua* Discor. lib. 5. de mat. med. cap. 126. Habet enim virtutem medicam contra hydropiûm, ictus scorpionum & viperarum, cum melle & hyssopo. Omnia hæc *ὁ ἐργασίας τοῦ ἀλλοτρίου μένος* ministerio Evangelii congruunt, cujus beneficio homines liberantur à spiritualibus illis mor-
bis: itaque *sale & sole nihil hominibus utilius:* Sale spirituali verbi, & sole justitiæ Christo nihil salutaris. Parum salis magnum carnis frustum reddit sapidum. Pauci Apostoli verbi sale universum condierunt mun-
dum.

Au-

Autor Palladius in Novemb. Tit. 13. ovillo pecori prodesse, si pascuis aut canalibus sal adspargatur: Oves Christi quicumque sunt, salis verbi divini asperionem non fastidiunt, ut valde salutarem & utilem; Hæc quoque ad legis usum specialius accommodari possunt.

MINISTERIUM EST DIVINÆ BENEVOLENTIÆ SIGNUM.

1548. *Abasverus benevolentia indicem sceptrum porrigebat, aditum patefaciebat*, Esth. 4. vers. 11. Sceptrum Christi verbum, Sacramenta hæc sunt regalia. Porrigit, quoties per ministros eadem tibi prona ostendit, aditum patefacit, Pl. 110. Sceptrum mittit ex Zion. Conf. suprâ de Regno Christi.

MINISTRI SUNT SPECULATORES.

1549. *Providens Magistratus, hostium incursionem extimescens, speculatores in turribus constituit, ut hostium adventum indicent.* Talis prudens Magistratus Deus, qui animadvertens somnolentiam nostram, & in spiritualibus hostibus nostris, Eph. 6. vers. 15. observandis negligentiam (ex quo fit, ut toties vigilare jubeamur) speculatores suos constituit, ministros scilicet verbi, in ecclesia velut turri, ut infernalium hostium impetus nobis significant, sive libeat illis Marte externo nobiscum dimicare per mundum scandalosum, Mat. 18. sive intestinò dissidio carnis spiritus fortunam experiri. De his speculatoribus. Esai. 21. v. 6. c. 52. v. 8. Videant hic speculatores, ne suo desint officio & gregi,

Esai. 56. v. 10. Grex ne desit ipsi, Jer. 7.

v. 7. Ezech. 3. 17. c. 33. 6.

Osc. 9, 8.

MINISTERIUM DEUS CON-
servabit.

1550. 1. Reg 17. v. 14. *Hydria farina non defecit vidua, nec oleum, usq; ad diem pluviae.* Vidua hæc cum filio Ecclesiam notare potest, hæc enim vidua est, Es. 54. v. 4. cui farina verbi, & oleum Sacramentorum non deficiet unquam, Esa. 59. v. 21. Matth. 16. vers. 8. *Porta inferorum non prevalebunt adversus eam.* Usq; ad diem pluviae, nimirum extremi iudicii, quando Deus regnum gloriæ auspicaturus, & largissimos misericordiæ & bonitatis suæ imbres in sinus piorum misurus, & pluviam picis sulphurisque in impios demisurus est.

MINISTERII EFFECTUS.

1551. 2. Reg. 2. v. 21. *Elisæus aquas Hierichunte pessimas sanavit, accepta nova phiala, eaque sale impleta, quod egressus effudit in fontem.* Elisæus Christus est, qui salem verbi sui (Marc. 9. v. 50. Coloss. 4. v. 6.) phialis novis, hoc est, ministris suis Spiritus sancti vi renovatis, 2. Cor. 3. v. 4. infundit; nam verba sua in oribus ponit, Es. 59. v. 21. Sanat hoc sale aquas pessimas; Aquæ hæc sunt peccatores homines, qui iniquitatem, ut aquam, imbibunt, Job. 15. vers. 16. ideoque Israelitæ aquam effuderunt, contritionem suam ipsorum feriam ostensuri, 1. Sam. 7. v. 6. coram Domino; & Salvator noster sicut aqua effusus est, Psal. 22. v. 15. Hoc sal in fontem infudit Elisæus; infundit & Christus verbi sui aquas in fontem aquarum pessimarum, qui est cor, Gen. 6. v. 5. cap. 8. v. 21. Matth. 15. v. 19. Jerem. 6. 7. Fons autem ille est in fericho, quæ mundum hunc significat, in quo luna solum micat; ipse vero sol iustitiæ Christus in iudicio plene demum manifestabitur.

MI-

DE MINISTERIO,
MINISTERIO SATANAS

713

expugnatur.

1552. *Gideon per multas tubas & lampades gestatas, hostes devicit, Baalamque destruxit, Jud. 6. v. 27. c. 7. v. 20. Dux noster & verus Gideon Christus est, qui est vastator & expulso, quem vox Gideonis significat. Vastavit enim infernum & Satanam expulit, & adhuc regnum ipsius vastat, expellitque Satanam è cordibus hominum. Milites ipse quoque habet spirituales, non enim secundum carnem militamus, 2. Corinth. 10. v. 3. arma horum militum non sunt carnalia, sed spiritualia, ibid. v. 4. ut bonam exerceant militiam, 1. Tim. 1. v. 18. & bonum certamen certent, 2. Timoth. 4. vers. 7. 1. Tim. 6. v. 12. Tubas autem habent, quia vox eorum tuba est, Es. 58. v. 1. verbi lampadem habent: His instrumentis spirituales hostes subiguntur, solo clamore vincuntur.*

MINISTERIO VERBI DONA

eximia offeruntur.

1553. *Futura benevolentia prænunciis dona obtulit Eleazarus, Rebeccam Isaac adducturus, Genes. 24. v. 22. Eleazarus ministros verbi significat, qui Christo sponsam adducturi, quã cum nuptias celebret, Apoc. 19. v. 7. eidem donant in aurem, hoc est, verbum; & duas armillas: Hæ sacramenta notare possunt. Prior armilla est Baptismus, altera Cœna Domini; illã ad spiritualia sponsalia ducimur, & Christo fidem damus; hæc ad Christum, ubi foedifragi facti sumus, reducimur, & in gratiam reponimur.*

MINISTRI ANNUNCIANTES VER-

bum animas suas liberant.

1554. Gen. 24. vers. 41. *Innocens eris à maledictione*

Y y 5

mea,

mea, cum veneris ad proximos meos, dederint tibi: ita ministri annunciantes verbum Domini, & peccata, Ezech. 3. v. 19. Esai. 58. v. 1. 2. si non ad frugem redeant homines, innocentes erunt à maledictione, quam sibüipsis accerferent homines.

MINISTRI DEI SAPIENTES SECVLI expugnant.

1555. *Jonathan & armiger ipsius mirabilem edunt stragem in castris hostium, 1. Sam. 14. Jonathan Christus est datus, nobis natus, Esai. 9. v. 6. ad audiendum commendatus, Matth. 3. v. ult. armigeri sunt ministri, 2. Cor. 10. v. 4. arma militiæ, Ephes. 6. v. 12. expugnant sapientiam mundi, 1. Cor. 1. v. 18. 2. Cor. 10. v. 5.*

MINISTRI SERPENTES TOLLUNT prædicatione.

1556. *Marc. 16. v. 18. Serpentes tollent. Hoc dictum ad literam de Apostolis est, & primæ ecclesiæ antesignanis. Applicari autem ad horum successores optimè potest: Anne mundus serpens est blandiens exemplorum gravitate? Matth. 18. *Va mundo à scandalis.* Hic sibilus verè serpentinus est. Satan serpens est, qui etiam nos seducere allaborat, ut Evam, 2. Cor. 11. v. 3. antiquus ille est, Apoc. 12. v. 9. Caro, inque ea habitans peccatum, Rom. 7. serpens est, Syr. 21. v. 2. *Fuge peccatum sicut serpentem.* Hos omnes tollere verbi prædicatione student concionatores. At quàm plurimi aures obturant, Pl. 58. v. 6. qui suo ipsorum veneno peribunt, experienturque serpentem hunc non posse mori in igni damnationis, Es. 66. quem mortificare potuissent igni prædicationis, Jer. 23. v. 29.*

M I-

DE MINISTERIO.
MINISTERII EFFICACIA
à Deo.

715

1557. 2. Reg. 4. v. 31. *Giezi fecit, quod suum erat, baculum mortuo imposuit, vivificare nequivit*: ita ministri baculum doctrinæ mortis peccatoribus imponunt, vivificatio à Christo ministerii Domino est, 2. Cor. 3. v. 5. 1. Cor. 3. v. 8. Nihilominus tamen coadjutores Domini. Vivificaret LIBENTISSIME omnes, nisi ipsi repugnarent homines, & ductui Spiritûs S. repugnarent, Gen. 6. v. 3.

MINISTERII OBJECTUM

omnes peccatores.

1558. Ezech. 47. v. 10. *Stabunt piscatores ab Engadi usque ad Engallin*. Duo maris mortui termini sunt, qui in totum exierunt mundum, qui est mare mortuum, ut piscentur: idè enim stare dicuntur, & per rete Evangelii homines extrahunt.

MINISTERIO VERBI CHRISTUS

offertur.

1559. *Man cum rore descendit*, Num. 11. v. 9. *super castra noctu*. Man Christus est cum beneficiis suis, qui super Ecclesiæ castra cum rore doctrinæ vel verbi descendit. Verbum enim Domini ros, Deut. 32. v. 2. *cujus plenum caput est*, Cantic. 5. v. 2. *Descendit autem noctu*, quia hæc vita nox est, donec lucifer oriatur, 2. Pet. 1. v. 19.

MINISTERII FINIS.

1560. *Speculatores magnum racemum ostendebant, ut Israelitis animos adderent, eosdemq; ad desiderium terræ promissæ inflammarent*, Num. 13. v. 24. ita Christus

Itus per ministerium ostenditur, proponitur, ut toto pectore ad cœlestis patriæ possessionem properemus.

MINISTRORUM FORTIS audacia.

1561. Matth. 10. v. 27. *In tectis prædicare jubentur.* Hæc verbi ministrorum *παρρησία*, ut publicè absque metu & pavore veritatem disseminent, peccata arguant publicè. Talis Baptista erat, Marc. 6. v. 18. Tale est Domini, Es. 58, 1. Mich. 3, 8. 2. Tim. 4, 2. præceptum.

MINISTRI DEI MUNDO invisi.

1562. *Hanon legatos Davidis, qui consolandi ergo miserant, contumelios affecti, & vestes eorum præscidit,* 2. Sam. 10. v. 4. ita mundus Dei legatos, 2. Cor. 5. v. 20. excepit, illudit, Matth. 23. v. 34. odit. Joh. 16. v. 2. Sed non impunè feret. Verus enim David vindictam exercebit in eos, qui ita ministros ipsius exceperunt, quando justus judex cum exercitu angelico apparebit, Matth. 25. v. 31. 2. Thess. 1. v. 8.

MINISTRORUM MERCES beatitudo gratuita.

1563. *Paranymphum Eleazarum ingredi edes justitæ Laban,* Gen. 24. v. 31. Ita sponsæ Christi (ecclesiæ nempe) paranymphos in cœlum introire jubebit Dominus, quotquot talentum suum bene collocaverint, Matth. 25. v. 23. Mala punica gestabat summus pontifex in fimbria vestis, Exod. 18. v. 33. Malum punicum in capite gestat coronam, quæ æternæ vitæ, 2. Tim. 4. v. 8. symbolum.

MINI-

MINISTRI TERRENI ET

ventri dediti.

1564. *Pharaonis sacerdotes liberas habebant possessiones, Gen. 47. v. 22. contra sacerdotes Domini non habent possessionem, sed ipsorum pars ipse Dominus.* Sic ministri Satanæ liberas habent possessiones, ventri litantes, Phil. 3. v. 19. Rom. 16. v. 18. sua quærentes, Phil. 2. v. 21. 1. Cor. 10. v. 24. At quibus Christi verbum cordi, cum Christo paupertatem ferre necessum habent. Vide Eliam & Elisæum pauperes, contra rerum copiâ omnium affluentibus Baaliticis sacerdotibus. Quid hodie in papatu? annon amplissimailla stipendia sunt Pontificii regni vincula? Certum fatebitur, qui veritatem amat.

MINISTRORUM IN PRÆDICANDO

prudentia.

1565. *Joseph seorsim sibi & fratribus seorsim cibos apponi præcepit, Gen. 43.* Hoc factum prudentiam spirituales ministris inculcat, qui in apponendis spiritualis animæ epulis prudentiam adhibere debent, non quilibet quibuslibet proponere, sed auditorum habere rationem, quorum quidam legis dolabrâ, Ose. 6. v. 5. indigent, quidam Evangelio, quidam vino, quidam oleo, id exemplum Samaritani, Luc. 10. v. 34. Christi, Joh. 16. v. 12. *Habeo multa vobis dicere*, Pauli, 1. Cor. 3. v. 2. c. 9. v. 19. 20. Heb. 5. v. 14.

MINISTRORUM IMPERTER-

rita constantia.

1566. *Ut Adamas nulli cedit igni, nulli violentia?* ita ministri nulli debent malitiæ cedere, aut connivere,
non

nongestare mollia vestimenta, Matth. II. v. 8. non conficere pulvillos hominibus, Ezech. 13. v. 18. indicavit hoc Dominus, Ezech. 3. v. 9. *Ut adamantem & silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.*

ARTICULUS II.

DE HÆRETICIS ET HOSTIBUS Ecclesiæ.

HÆRETICI SUNT

1567. *Instar Balaam*, Apoc. 2. v. 14. Fallacium *Jabaonitarum*, Jos. 9. *Joabi*, 2. Sam. 20. v. 10.

1. *Sunt instar Balaam*, 1. quia docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel: Scandalum illud erat Idolothythorum. Hæresis est nihil aliud, quàm Idolothyton, alienus ignis, quem Deus igni vindicat, ut typicè monstratum, Lev. 10. v. 1. 1. Cor. 10. v. 14.

2. *Docebat edere*: Hæretici docent edere cibum doctrinæ falsæ pestiferum: Et ut cibum capiunt, qui voluntatem Dei faciunt, Joh. 4. v. 34. Ille autem voluntatem Dei facit, qui doctrinam Dei cognoscit, Joh. 7, 17. Sic contra cibum Dei non capit, qui nec voluntatem Dei cognoscit, nec doctrinam: Hujus autem causæ mali sunt hæretici, & ita docent edere cibum Diaboli.

3. *Docebat fornicari*: Spiritualiter docent fornicari hæretici, cum à vero Deo homines abducunt.

4. *Sunt instar Jabaonitarum*. Hæretica doctrina est panis ille vetus, & panni lacerati, quos Jabaonitæ ostentarunt. Mancipia facti Jabaonitæ: Æterna erunt hæretici pertinaces Satanæ mancipia.

3. *Sunt*

3. *Sunt instar foabi*, qui gladium manu tenens occultansque osculum Amasi fixit, qui osculo intentus, non gladio fuit: Homines hæreticorum blanditijs osculis intenti, 2. Tim. 3. v. 6. non gladii doctrinæ hæreticæ, qui animas vulnerant, spiritualiter occidunt. Oscula ergò fuge hæreticorum, oscula enim meretricia sunt: Oscula hæc oris sunt vulnera animæ, & perpetui doloris.

FALSI DOCTORES LUPI,

Matth. 7. 15. Act. 20. 29.

1568. 1. *Lesione*. Lupus quicquid pede terit, vivere non potest: ita pseudodoctores, quoscunq; doctrinâ pestiferâ corrumpunt, vivere nequeunt spiritualiter, Ps. 59. v. 13. Ps. 55. v. 12. Ps. 24. v. 4. Ut doctorum Evangelicorum pedes salutiferi, Esa. 52. v. 7. Rom. 10. v. 15. ita hæreticorum luporum pedes sunt pestiferi.

2. *Preparatione*. Ad prædam exiturus dentes acuit herbâ quâdam origano. Sic falsi prophetæ falsis scripturæ interpretationibus se præparant ad lacerandas animas. Est enim scriptura commune pallium hæreticorum, abundantium salutiferâ verbi divini herbâ: ita Satanas, Matth. 4. *scriptum est*: ita lupus infernalis acuens dentes scripturæ herbâ.

3. *Præda tempore*. Noctu enim maximè grassantur lupi: ita falsi doctores noctu grassantur, cum homines dormiunt, Matth. 13. v. 25. Ad vesperam lupi vastant. Jer. 5. v. 6. Ecclesiæ vineam & ovile lupi hæretici ad mundi vesperam maximè vastant, Matth. 24. v. 24.

4. *Astutiâ*. Animalia cornuta à tergo invadit, & caulas ingressurus adversò ventò ambulat, ne odorem ejus sentiant canes: ita falsi vates fraude agunt, 2. Tim. 3. v. 6. & virus occultant, ne à pastoribus deprehendantur: Vestitum ovium induunt, Matth. 7. v. 15.

3. *Unione*

5. *Unione.* Lupi enim fugientes & fluvium tranantes caudas præcedentium mordicus apprehendunt. Ita falsi doctores capitibus quidem divisi, caudis tamen coherent, ut Simsonis vulpeculæ, Judic. 15. vers. 4. 5. Calviniani & Pontificii nuper nati Jesuitæ senserint Orthodoxè, nihilque desiderarint in nostra de Christo sententia, in oppugnanda majestate Christi amicè conspirant, cum ante nobiscum.

6. *Sedulitate.* Prædæ inhians inihanti ore obambulat semper: ita falsi doctores semper intenti sunt, ut faciant filios Gehennæ, Matth. 23. v. 15.

7. *Ovis & lupi dissensione,* cum in vita, tum post mortem: Sic nulla potest concordia inter eos esse, quorum est diversa fides. Quæ communicio lucis cum tenebris? unio ovis cum lupis.

8. *Gladii & lapidum consuetus aversatione.* Sic falsi doctores gladium spiritus verbi Dei fugiunt, Eph. 6. sed nec scripturarum collationem ferre possunt, quæ cum lapidum consuetu atque ictu, quem lupus fugit, conferri potest. Eundem lupum sono tibie concitato terri, autor Ælian. lib. 11. cap. 28. Verbi divini tibia hæretici terrentur.

9. *Lupi dispersione:* Lupus dispergit oves, rapitque eas, Joh. 10. v. 12. Hæretici dispergunt oves, fidei unitatem lacerando, rapiunt eas, solatio spirituali spoliando.

HÆRETICI SUNT LOCUSTIS

similes.

1569. Apoc. 9. Hæretiarum comparantur locustis.

1. Dicuntur autem *ex fumo progressæ fuisse:* Sic

1. Hæretici damnatas antecessorum doctrinas recudere & velut è cineribus excitare solent.

2. *Fumus*

2. *Fumus autem oculis nocet, iisque lucem eripit:* ita hæreses oculis fidei spiritualibus nocent, quibus lucem divinæ cognitionis eripere cupiunt, quando eam obscurant.

3. *Ex fumo progressæ locustæ, quia ex nubilo rationis humanæ cerebro hæreses oriuntur.*

4. *Fumus obscuravit solem, aeremque:* d. l. Apoc. v. 2. Ita hæreses obscurant solem justitiæ Christum, illustratumque ab eodem Evangelii aerem, quem ille sua luce illuminat.

II. *Potestatem mordendi acceperunt.* Hæreses enim à Deo, ut justo iudice, 2. Thess. 2. v. II. immittuntur. Conf. 1. Reg. 22. v. 19. seq. Ezech. 20. v. 24. & conscientiam mordentur.

III. *Scorpionibus sunt similes.* 1. Quia horum venenum primo blanditur, cum instillatur per morsum, & somnum inducit, ita etiam hæreses blandum venenum spargunt, quod æternæ mortis somnum animabus inducit.

2. *Scorpio sub omni lapide insidiatur: ita hæretici ubique insidiantur.*

3. *Scorpii in facie blandi, in cauda lethales:* Sic hæretici v. 10. d. l. Apoc.

4. *Gramen & quicquid viridium est arborum, exedere non possunt locustæ, sed homines solum sigillo Dei carentes: ita hæresibus, electi Dei, fide simplici virentes non læduntur, Matth. 24. v. 24. sed duntaxat homines sigillo illo Dei, 2. Tim. 2. v. 19. carentes. Hi sunt hypocritæ, quos Dominus non novit, Matth. 7. v. 23.*

5. *Cruciari debebant locustæ.* Hic enim hæresium effectus, ut mentes hominum crucient, quando vario doctrinæ vento impelluntur, Eph. 4. vers. 4. conturbantur, Gal. 1. v. 7. conciduntur, Phil. 3. v. 2. pervertuntur.

tuntur, Act. 15. v. 24. Nulla in hæreticis fidei solida hypostasis est.

6. *Tota forma militaris apparet.* Dicuntur enim similes esse *equis* ad bellum paratis, *loricis* munitæ strepitum equorum militarium adæquantes: Sic hæretici, ubi verbis nil proficiunt, ad ferrum convertuntur & arma. Equi simul notant diligentiam indefessam hæreticorum, Matth. 23. v. 15. Loricæ Scripturæ S. ostentationem.

7. *Quasi aureas coronas gestarunt.* Hæ externum hæresium splendorem notant, cum velut aurum splendent, & tamen scoria sunt.

8. *Facies velut hominum facies fuit, & capilli feminei:* Quò typò blanditiæ, & imposturæ significantur, 2. Tim. 3. v. 6. Dentes earum leonis sunt. Nam ubi hæretici improvidas animas effascinarunt, lacerant eas postea, ut lupi rapaces, ut leones sævi.

9. *Ducem habuerunt principem abyssi Abaddon.* Ille Satanas est pater mendacii, spiritus fallax, princeps tenebrarum, , verus perditor animæ & corporis. Vide supra de malis angelis.

HÆRETICI.

1570. Sunt instar parietum leproforum, Lev. 14. v. 37. qui non tangendi, sed vitandi. Ita quisquis hæreticum tangit, hoc est, cum eo, præter charitatem necessitatemque, versatur, polluitur & præcepto Apostoli refragatur, Tit. 3. v. 10. Nec incommode lepræ indoles hæresi comparari potest, facileque applicari. Vide supra: Peccatum est lepra.

HÆ-

HÆRETICI RANÆ.

1571. Apoc. 16. v. 13. Hæretici comparantur ranis:

1. *Ratione processionis.* Dicuntur enim ex ore Draconis progredi. Draco ille Diabolus est, rufus ille stans ante mulierem, h. e. Ecclesiam, Apoc. 12. v. 4. c. 13. v. 1. c. 20. v. 2. Ex hujus ore: os est Diaboli, qui mendax ab initio est, Joh. 8. v. 44. & spiritus mendax in ore Prophetarum, 1. Reg. 22.

2. *Loquacitatis.* Rana est animal loquacissimum; ita hæretici garruli sunt.

3. *Abfconsionis.* Dicitur enim hyemis tempore in rimis se abscondere: ita in persecutionibus hæretici sibi non semper constant; ut mercenarii fugiunt, oves relinquunt.

4. *Silentii.* Dicuntur ranæ ad lucernam in ripa positam, confestim conticescere. Sic hæretici ad lucernam verbi obmutescunt.

5. *Aquarum palustrium delectationis.* Sic hæretici limpidos Scripturarum fontes spernunt, & lacunis suis palustribus delectantur.

6. *Piscationis.* Est enim genus ranarum, quas piscatrices vocant, quæ limo se occultant, & pilis pisciculos capiunt: ita hæretici in limo hæreticæ pravitatis se occultant, & parvos in fide capiunt.

HÆRETICI SUNT VULPES.

1572. 1. *Astutia*, quæ in vulpibus, 2. Tim. 3. v. 6. Eadem est in hæreticis.

2. *Viarum perplexitate*, quam amat vulpes: sic hæretici non uno modo aggrediuntur rem, ut incautos homines decipiant.

3. *Vocis canina imitatione.* Verorum canum (hoc est doctorum) vocem imitantur hæretici, Math. 7. vers. 15.

Z z z

4. Cir-

4. *Circa domos obambulatione.* Sic hæretici astuti sunt, vias doctrinarum perplexas habent, vocem ministrorum bonorum imitantur, & circa domum Ecclesiæ jugiter, capiendæ prædæ ergò, obambulant.

HÆRESIS COMPARATUR VENTO
acri, Eph. 4. v. 14.

1573. 1. *Ventus adificia subvertit:* ita hæresis spiritualis doctrinæ ædificium.

2. Vaniloqui in ventum verba proferunt, Job. 6. v. 26. ita hæretici & schismatici, 1. Tim. 1. v. 7.

3. *Ratione fugacitatis:* ita hæreses sunt fugaces, vanæ, non solidæ, 1. Cor. 3. v. 13.

4. *Ratione mobilitatis.* Ventus folia & leviora rapit, Job. 13. v. 25. paleas, Psal. 1. v. 4. ita hæreses seducunt infirmiores.

5. *Determinationis:* Nam ventis pondus dedit Deus, Job. 28. v. 25. ita hæreses serpunt pro Dei determinatione in puniendo, 2. Thess. 2. v. 10.

6. *Productionis:* Venti ex thesauris Dei producuntur, Psal. 135. v. 7. ita hæreses ex iræ divinæ thesauris, 2. Thess. 2. v. 10. Deut. 32. v. 34. Jer. 10. v. 13.

7. *Inanis finis.* Qui frustra aliquid agit, dicitur ventos pascere, Eccl. 5. v. 15. sic hæretici frustra docent, finem salutarem non assequuntur.

8. *Est etiam ventus quidam urens,* Am. 4. v. 9. Tales venti sunt hæreses, quæ urunt conscientias, in hoc seculo, 1. Cor. 3. v. 13. urent in futuro; nam maledicti, qui à præceptis Domini deciscunt, Psal. 119. v. 118.

HÆRETICI ÆDIFICANT ABSQUE
fundamento.

1574. 1. *Ob fundamenti verireprobationem.* Nam reprobant fundamentum Christum lapidem angularem, Psal. 118. v. 22. Ideoque lubricum est ædificium, quod non super petram fundatum, Matth. 7. v. 25.

2. *Ob eventum consequentem.* Qui enim absque fundamento ædificant, eorum tandem subvertitur ædificium: ita quicquid docent Hæretici, id tandem subvertitur vel à Satanâ tentante, vel scripturâ convincente.

HÆRETICI DORMIENTIBUS DOCTO-
ribus Ecclesiam spoliant.

1575. *David, dormiente Joabo, Sauli lanceam & scyphum abstulit,* 1. Sam. 26. v. 7. seqq. Ita arma Ecclesiæ spiritualia auferunt, dormientibus doctoribus hæretici.

HÆRETICI OVICULAS SUAS
vendunt.

1576. Zach. 11. v. 5. *Gregem suum pastores venundant;* Tales pastores sunt hæretici, qui seductos auditores suos infernalibus Ægyptiis venundant, ut perpetuo Diaboli servitio mancipentur, Matth. 2. 4. v. 10.

HÆRETICI IN PESSUNDANDA
Ecclesiâ conspirant.

1577. *Vulpes Simsonis capitibus divisa, caudis connexa, segetem incendebant,* Jud. 15. v. 4. seqq. Hæretici sunt vulpeculæ illæ, astutiâ; veniunt enim in vestitu ovium, caudis tamen certorum errorum connexi, ut cœlestis doctrinæ segetem devastent.

HÆRETICI A VIA DOMINI
abducunt.

1578. *Mali pastores ungulas ovium dissolvunt*, Zach. 11. v. 16. Hi sunt hæretici, qui auditoribus suis obstaculo sunt, quo minus recto pcedē in vijs Domini ambulent; inò ut trepidi ambulent, & pedes eorum dissolvantur ad lapidem offendiculi, Christum.

HÆRETICI ET IMPII SUB PRÆTEXTU
religionis peccant.

1579. Am. 8. v. 3. *Excogitant sibi instrumenta Muscæ, sicut David*, ita sub prætextu recti hæreticus falsitatem, & impius pravitatem defendunt, qui crepant Davidem, dicentes: *Domine, Domine*, sed rejiciuntur, ut iniquitatem operantes, Matth. 7. v. 21.

HÆRETICI PRIMO BLANDIUNTUR,
deinde pungunt.

1580. *Aculeos in caudis habere dicuntur locustæ* Apoc. 9. v. 10. Ingenium hæreticorum depingitur, qui veniunt ad nos in vestitu ovium, adeoque blandiuntur; Postea tamen pungunt & vulnerant conscientias, qui aculeum gestant in caudâ, h. e. in extremo termino vitæ.

HÆRETICI SCRIPTURIS ABU-
tuntur.

1581. Jer. 12. v. 14. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*, Eccl. 10. v. 1. Muscæ illæ morientes & perniciosæ sunt hæretici, quibus Evangelium est odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. v. 16. qui que perniciosissimi in verbi divini unguentum perdunt, malè illud pro palliandis erroribus allegando, sic Diabolus, Matth. 4. Psal. 91.

HÆ.

HÆRETICI SCRIPTURAS PER-
vertunt.

1582. Jer. 12. v. 13. *Seminant triticum, & metunt spi-
nas.* Triticum Dei verbum est, quod ab hæreticis semi-
natur; manet enim semen Dei in se, etsi malus sit agri-
cola, cujus incredulitas fidem Dei non evacuat, Rom. 3.
v. 3. & nihil refert, quo fine quisquis prædicet, Philipp. 1.
v. 16. At spinas metunt hæretici, fructum suffocantes,
& conscientias pungentes.

HÆRETICI SANGUINOLENTI.

1583. *Cain ferro propugnabat sacrificium, non verbo,*
Genes. 4. v. 8. Ita hæretici sanguinolentis consilii
regnum propagare student, ut ad vivum imaginem pa-
tris sui, qui homicida est, & ex quo Cain fuit, 1. Joh. 3.
v. 12, exprimant.

HÆRETICI DILIGENTES
in seducendo.

1584. *Discurrentes vulpes Simsonis, Jud. 15. v. 5.*
hinc inde frumentum incenderunt. Sic hæretici hinc in-
de discurrunt, ut homines seducant, filios Gehennæ faci-
ant, Matth. 23. v. 15. Hinc Ose. 8. v. 11. *Multipli-
cabat altaria Ephraim,* ut hinc inde cultus idololatriæ
propagari posset.

PAPATUS SPIRITUALIS ÆGYPTUS,
Apoc. 11. v. 8.

1585. 1. *Nomine.* Tenebræ enim densissimæ erro-
rum in Papatu fuerunt. Tenebræ insitiæ, nequitia.
2. *Papatus afflixit veros martyres,* vide catalogum
testium veritatis. De Verorum Israelitarum peregrina-
tione & servitute Doct. Luth. in c. 12. Daniel.
3. *Liberatione,* ut Deus per Moysen liberavit Israeli-
tas; Ita nos ministerio D. Lutheri.

4. *Fornax* quoque *ferrea* papatus fuit, respectu moris piorum, & persecutionis martyrum.

5. *Ægriudinum copia*, spirituales ægriudines sunt errores, qui multi in papatu.

6. *Ægyptii* tandem *persequentes submersi*: ita Papatus in inferno submergetur, 2. Theff. 2. v. 8.

7. Olim etiam *Ægyptii* dicebantur *Cham*, Pfal. 78. v. 51. *Cham* significat calidum; ita zelo ignorantie calidus est papatus. *Cham* fuit *illusor Noachi*, ita papatus veri DEI, quia Antichristus tollit se supra DEUM 2. Theff. 2. v. 4.

8. *Ægyptus* dicitur *Domus servorum*, Exod. 13. v. 10. Ita Papatus est domus servorum ventrilantium, temporalia quærentium, Apoc. 13. v. 17.

9. *Ægyptii* olim sacra sua à Mercurio se accepisse gloriabantur, *Ælian*, lib. 14. variar. histor. c. 34. Ita Mercurius papa est, ille jura dat suis, non tam nuncius Dei, quàm ipse Deus.

10. *Ægyptii de innumerabilibus* successionibus gloriabantur, Herod. Ita Pontificii de successionem Episcoporum, Bellarm. de notis Eccles.

PAPATUS SODOMA.

1386. 1. *Respectu Lothi*: *Loth* notat absconditum; ita in Papatu multi fuerunt, & adhuc sunt absconditi veritatis patroni. Vid. catal. test. ver. & D. Luth. in cap. 12. Dan.

2. *Clamor*. Clamor Sodomorum ad Domini aures pervenit; ita Pontificii regni iniquitates tandem vindictam Domini efflagitabunt, Apoc. 6. v. 10. clamant animæ sub altari, Apoc. 17. v. 6. *Ebria est Babylon sanguine martyrum*; clamabit Abelis sanguis.

3. *Nominis*. Sodoma secretum eorum significat; ita pontificii affectu multa habent secreta. Vide scripto-

pores de secretis Jesuitarum. Colloquia Wegeri.

4. *Pluvia sulphurea*; Ita Deus super pertinaces affe-
clas Papæ pluet sulphure & igni, Apoc. 14. v. 10. cap. 19.
v. 20. cap. 20. v. 10, cap. 21. v. 8.

5. *Nefanda libidinis*. Hæc etiam in Italia adhuc vi-
get. Notum est Cardinalis illius Sodomix encomium.

6. *Pomorum Sodomiticorum*, quæ extrinsecus spe-
ciosa videntur, levi tactu pressa in cineres resolvuntur:
ita doctrinæ Pontificiæ extrinsecus speciosa, levi exami-
ne in cineres resolvuntur, Deut. 32. v. 32. *Vinea Sodomorum vinea eorum*. De fructibus in lacu Asphaltite vi-
deantur Josephus, Tacitus, & alii.

7. *Summa vastitatis*: ita in Pontificiorum doctrinis
summa vastitas, & horrendæ abominaciones,

8. *Malitiosa gloriationis*, Esa. 3. v. 9. ita de malefactis
Papæ sui intolerantissime gloriantur; Etiam si aliquot
mille animas in infernum detruderet Papa, ejus tamen
rei non esse eum redarguendum, nec dicendum: Papa
quid facis?

9. *Subversionis*. Quemadmodum Babel interitus
cum interitu Sodomorum comparatur, Esa. 13. vers. 19.
ita spiritalis Babylon suo tempore subvertetur, A-
poc. 17.

10. *Abominationis*, Jerem. 13. v. 14. ita qui caracte-
rem bestix acceperunt, abominabiles sunt, non sunt scri-
pti in libro vitæ agni, Apoc. 13. v. 8.

11. *Modi subversionis*: Absque opera humana Sodo-
mix subversi sunt, Thren. 4. v. 6. ita regnum Pontifici-
um non armis hominum, sed spiritalibus destructum,
est, de quibus, 2. Cor. 3. v. 4.

12. *Similium peccatorum*, Ezech. 16. v. 49. Eadem
in regno Pontificio.

13. *Summa securitatis*, Luc. 17. v. 28. ita maximè fe-

curi sunt pontificiæ Idolomanix propugnatores, donec adventu suo Christus aboleat filium perditionis mendacem, 2. Theff. 2. ψ . 8. cum patre illo mendacii, Joh. 8. ψ . 44.

14. *Lotbi oppressionis & inobedientia*, 2. Petr. 2. v. 7. ita in papatu multos pios doctores ferro & flammis sustulerunt.

15. *Filiarum Lotbi stuprationis intentata*: Filix hæc possunt esse imago piorum sub papatu, quibus spirituale stuprum inferre voluerunt & tentarunt, sed Deus sibi suos obsignaverat, Apoc. 7. v. 4. virgines spirituales manserunt, Apoc. 14. ψ . 4.

ROMA VERE EST BABYLON MYSTICA.

1587. *Ob conditorem*. Nimrod venator ædificavit, Gen. 10. ψ . 10. Babylonem: ita Romam, quæ Pontificia, ædificavit venator infernalis, Pfal. 91. non ex lapidibus vivis, 1. Petr. 2. sed leprosis, hoc est, hypocritis.

2. *Appellationem*. Babel significat confusionem. In regno pontificio, cujus Roma metropolis est, mera confusio divinarum humanarumq; scripturarum & traditionum, operum & justitiæ Christi, animæ & peccati.

3. *Linguarum confusionem*. Ita in Roma Pontificia linguarum confusio, Prophetarum & Apostolorum, qui confusi sunt turpibus mendaciis à pontificiis.

ANTICHRISTUS EST PARDUS.

1588. Apoc. 13. ψ . 2. *Bestia visa similis pardo, pedes ejus sicut ursi, os leonis*. Antichristus pardo comparatur, 1. Ob

1. *Ob peculiarem in oculos humanos furor em.* Idem est Antichristi, qui ideo verbum Dei oculos illuminans tollit, deliciis mundi effascinat, ut ne possit agnosci.

2. *Pellis varium colorem:* Sic Antichristus modò Papa, modò Rex est; modò pastor, modò miles, varios habet ordines.

3. *Astutiam.* Caput enim Antichristus, sicut pardus, abscondit, ne agnoscat, pietatis speciem prætendendo.

4. *Canis venatici speciem:* Sic Antichristus instar canis venatici, bona & animas hominum venatus est.

5. *Odoris suavitatem.* Pardus odoris suavitatem capit animantia: sic rerum temporalium amoenitate capit multos Antichristus, captos spiritali morte afficiet, Apoc. 13. v. 15. cap. 17. v. 12.

6. *Seruitatem & ferocitatem.* Eadem in Antichristo est, siue spectes regimen seculare, siue Ecclesiasticum, in quo crudelissima conscientiarum carnificina est (Utrumque enim sibi arrogat Papa) Huc spectant inquisitiones, lanienæ tot, ignis, funes, gladii.

7. *Vini cupiditatem.* Vino maximè delectatur pardus: Sic Antichristus vino scortationis spiritalis delectatur, quo se suosque inebriat, Apoc. 17. v. 4.

ANTICHRISTI OCCASUS.

1589. Esa. 14. v. 13. *In cælum conscendam, &c.*

1. *Talis Antichristus est, qui in cælum Ecclesiæ ascendit, sedens in templo Dei,* 2. Thest. 2. v. 4. solium suum super astra exaltavit, cum se contra omnes doctores effert, quippe omnia jura divina & humana in scriptura pectoris sui gerit.

2. *Sedit in monte conuentus: hic est mons Ecclesiæ, in quo*

quo convenimus ad laudes Dei prædicandas, Pſal. 12. v. 4. ſed ad infernum detrahetur, cum abolebit eum Dominus, 2. Theſſ. 2. v. 8. ad latera loci infernalis, ardentis fulphure & pice, Apoc. 19. v. 2. 3.

MIRACULA FAŁSA ANTICHRISTI
ejus hypocrifiſis.

1590. *Ignis ſplendor eſt in ſternutatione Leviathan,* Job. 41. v. 10. *De ore ejus lampades emittuntur. ſcintilla ignis procedunt.* Lampades hæc falſa miracula ſunt, quæ Antichriſtus jactat. Hæc ſunt ſigna mendacia, à quibus nos cavere juſſit Dominus, Matth. 24. v. 24. 2. Theſſ. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 14. Pertinet huc hypocrifiſis Papatus, Apoc. 13. v. 11. *Beſtia habebat duo cornua. ſicut agnus, ſed loquebatur ut Draco.* Duo cornua agnina hypocrifiſin notant Pontificiam, beſtiæ enim figuram ad vivum exſcripſit: Ne te fallat figura agnina, cum ſe vocat ſervum ſervorum & minimum, beſtiæ hujus moderator Papa: Draco eſt & ſicut Draco loquitur: *Nemireris; in angelum lucis ſe transformat Satanas,* 2. Cor. 11. v. 14. Cur non & ejus mancipium? Verè Papa Draco eſt

1. *Ob potentiam hujus animalis.* Papa potentiſſimus eſt. à quo vera eccleſia ſæpè ita premitur, ut illi ingeminandum ſit ex Pſal. 44. v. 20. *Domine, cur nos inter Dracones percutus?* De robore & potentia Draconis, conſulti poteſt Nicephor. lib. 12. cap. 45. Plin. 8. cap. 14. Vaſer. Maxim. lib. 1. cap. 8.

4. *Ob ſibilum & flatum contagioſum.* Sibilus & flatus contagioſus eſt doctrina peſtifera, quæ animas hominum inſicit, nec permittit ſola fide intueri ſerpentem illum in cruce exaltatum, Joh. 11. & 3. cap. Ad flatum contagioſum pertinent reliqua omnia incentiva
ad

ad Papatum, quæ jactitant, qualia; Ecclesiæ Romano-Papisticæ amplitudo, majestas, opes, splendor: quæ omnia singulaque status sunt contagiosi, quibus hominum animi inficiuntur.

3. *Ob morsum.* Draconis Papalis morsus est conscientiæ flagellatio, quam sentire omnes oportet, quotquot meritis confisi, quocunque demum colore Jesuitico fucatis, vitam claudunt: Nulla enim medicina conscientiæ alia est, quam sola Christi vulnera.

4. *Ob venenum,* quod habet in lingua: Omne venenum Papa habet in doctrina. Unde defectio dicitur, 2. Thess. 2. v. 3. Vere doctrina Papistica est *venenum*,

1. Habens cum corde hominis Christiani ἀντιπάθειαν. Quæris quam? Dicam. Dubitatio & conjecturatio illa, (an sis in gratia apud DEUM) annon est venenum pestilentissimum? Certe, tale venenum non supeditat Pharmacopolium S. Scripturæ, Roman. 8. v. 1. 1. Joh. 3. v. 20. 2. Tim. 1. v. 12.

2. *Habens magnam efficaciam:* Venenum enim doctrinæ Papisticæ est vinum fortissimum, Apoc. 17. v. 4. cap. 18. v. 6. Intimam substantiam cordis humani penetrat, & (velut venenum) maximè cor inficit.

3. *Saporem blandientem & suavem,* quem mortis æternæ amarulentia consequitur, Apoc. 19. v. 2.

4. *Operationem specialem,* quæ in veneno est, nempe temperiem corporis tollere, dissolvere calorem nativum per erosionem, ut Scholæ Medicorum testantur: ita venenata Papatus doctrina, ordinem temperiemque corporis humani, hoc generis tollit, instituendo varios ordines Monachorum, Monialium, rapiendo ad se potestatem etiam gladii temporalis regno-

regnorum transferendorum, prohibendi matrimonii; ipsum etiam calorem nativum charitatis, quò liberi in parentes ferri debent, dissolvit, illos eosdem in Monasteria, ignavis parentibus, detrudit, & subditos odio in Magistratum, si is hæreticus sit, armat. Quæ omnia satis ostendunt, quàm efficax sit venenatæ doctrinæ Pontificiæ operatio.

5. *Ob somnum rarum*: Raro quoque Papalis Draco dormit, semper vigilat cum suis, ecclesiæ veræ ruinam machinantibus, incitantibus Christianissimos Reges ad bella, orthodoxamque veritatem opprimendam. Pertinet horum cohors Jesuitica.

6. *Ob Elephantum excacationem*: Solent enim Dracones injecto oculis Elephantum pulvere, eosdem excacare: ita mundi hujus Elephantes (homines ventri deditos) vanò religionis fascino excacat Draco Papalis.

7. *Ob cristas*, quas Draconibus tribuit Plinius. Papa Draco est, serpens humi per humilem SERVI SERVORUM nomenclaturam: Idem erigens cristas per triplicem, quam gestat, coronam: Habet enim triplex regnum, *Potentia* in seculari brachio & duplici gladio: *Gratia* in indulgentiarum fictitiarum foro. *Glorie* in splendore Cardinalitio. Papæ cristæ sunt donatio illa Constantini, quam accepit. (ut intolerantissimè gloriatur, in jure Can. dist. 96. cap. 14. constant.) capitis universalis potestatem, principatus dignitatem, super omnes ecclesias dominationem, activam earundem illuminationem, palatium Lateranense, mitram regiam & coronam, Chlamydem purpuream, tunicam coccineam, omnia imperialia indumenta, omnia majestatis ornamenta: Quid his cristis addi potest?

Triplicem habet coronam, quia est Dominus in *caelo*, quod aperit; in *terra*, quam anathemate tangit, in *inferno*, in quo purgatorio præsidet.

MIRACULA AB HOSTIBUS

Ecclesiæ petuntur.

1591. *Pharao à Mose signa petebat*, Exod. 7. Ita ab Ecclesia vera signa petunt hæretici, quæ tamen fallacia temporibus ultimis, & Antichristi ipsis *τεμύρια*, 2. Theff. 2. Impium *pravæ generationis*, Matt 16. v. 4. postulatum.

HOSTES ECCLESIAE TAN-

dem excæcantur.

1592. Zach. 14. v. 12. *Gentibus adversum Ierosolymas pugnantibus hanc pœnam indixit Dominus, fore, ut oculi earum contabescant in foraminibus suis.*

1. Vera Jerusalem ecclesia est Domini, in qua sola vera pacis visio cum Domino, Rom. 5. v. 1. & cap. 8. v. 1.

2. Hanc contrapugnantes inimici sentient Dei plagam, ut excæcentur & in sensum reprobam tradantur, non absoluto Dei iudicio, sed iusto supplicio, Rom. 1. v. 24. & 28. & videntes non videant, Joh. 12. v. 40. Esa. 6. v. 9. in quibus & consimilibus locis V. T. non est *ἀντιλογικόν* sed *ἐκβατικόν*. Ita oculos Pharaonis contabit, ut in media Erythræi maris fluentia cæco impetu in suam ipsius perniciem rueret.

HOSTES ECCLESIAE CRUDELES

& sanguinariï.

1593. *Esau rubicundus appellatus & pilosus fuit*, Gen. 25. v. 25. Esau hostium ecclesiæ typus, qui persequentes Jacobum, hoc est, Christum in membris suis, Act. 9. v. 5. *pilosi* sunt ob agimorum sævitiam & esseram

cru-

crudelitate. *Rubicundi* sunt ob confilia sanguinolenta, quando cædem solum & sanguinem spirant. Actor 9. v. 1. Pl. 124. v. 6. 7. Psal. 79. v. 3. Hoc tamen solatio fit, Dominū suo tempore vindicaturum esse, Psal. 9. v. 13. Pl. 70. v. 10. Pl. 72. v. 14. clamabit ad eundem ille sanguis Abelis de terra, Gen. 4. v. 10. Clamemus modo cum animabus illis, Apoc. 6. v. 10. ita fiet, ut mulier illa ebria sanguine testium Jesu, Apoc. 17. vers. 6. ultricem Dei dexteram sentiat, Apoc. 10. v. 2.

ECCLĒSIA SANGUINE fundata est.

1594. Cant. 3. v. 10. *Salomonis solium purpureum fuit*: Christi veri Salomonis solium ecclesia est, in qua ille sedet regnum gratiæ gubernans; sed purpurea est, ob sanguinis Martyrum effusionem.

ECCLĒSIÆ PRÆSIDIUM Deus est.

1595. Esa. 4. v. 5. 6. *Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte, &c.*

1. Omnis locus montis Sion, & ubi invocatus est, ecclesia est, in quâ solum mons Sion, & locus, ubi Deus invocatur in spiritu & veritate, Joh. 4. v. 24.

2. Nubes illa per diem protectionem Dei significat: quemadmodum Deus Israelitas ducebat per nubem, Exod. 13. v. 21.

3. Fumus & ignis flammans in nocte, angelicum notat præsidium: ignis enim flammans præsentia angelorum symbolum fuit, 2. Reg. 6. v. 17. *Sanctissime Deus, nostra quoque Ecclesia locus montis tui Sion est; crea super hunc quoque, nubem, & ignem flammantem, in nocte, si quæ futura est, persecutionis & tyrannicæ oppressionis, ut nomen tuum in pace invocemus, Amen.*

CAP.